

Vladimir Pavšič — Bor:

NOCOJ ME NE BO — VESPERE NON ADERO

Certe vespere non hoc adero die,
Vinum nectareum me maneat nigrum!
Cor namque afficitur sic hodie meum,
Ut silentia me prorsus inebrient.

Solitudo silens atque ego — nos duo
Terminum simulac fecerimus, dehinc
Cor vadet vegetum atque omnia largiet,
Solitudine quae tunc data sunt ei.

Quando adis homines, ex oculis tuis
Caeli caeruleum splendeat admodum;
Quando adis homines, vox hilaris tua
Esto, sicut aquae sunt strepitus leves.

Quando adis homines, omnia sint tua
Semper verba velut pocula cum mero!
Quid tecum referas, quidque homini trucem
Des amaritiem et tristitiam gravem!

Ljubljana.

Vertit: S. Kopriva.

ODŠLA JE DEKLICA — DISCESSIT VIRGO VENUSTA

Caeruleis oculis discessit virgo venusta,
Ista abiit prorsus, non mihi iam remeat.
Quantumvis istam maneam noctesque diesque,
Proh dolor, evasit nec mihi iam remeat!
Caeruleis oculis virgo discessit amoena,
Sidera post istam tunc abiere simul,
Quamvis illa vocem retro noctesque diesque,
Discessit virgo caeruleis oculis,
Accendentur post iterum iam sidera numquam,
Caeruleis oculis virgo venusta abiit.

Ljubljana.

Vertit: S. Kopriva.